



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1658

§. 105. Est autem consuetudo vobis, ut unum dimittam in Pascha. v. 39.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45556

Delatores puniri non iussit? Grandis quaestio. Sed tamen talis ad quam dari possit sana responsio. Summa est omnium quod Pilatus arbitrij sui libertate sit abusus, gratiam datam à Deo neglexit, hominum metum timori Dei præhabuit, conscientiam suam & iustitiam offendere maluit quam hominum farentium gratiam.

O Pusillanimitatem detestandam in Iudice, qui nullam inveniens in Christo causam, non tamen iuxta leges liberat eum! O bone Iesu, da veram in iustitia & æquitate constantiam, ne odio, affectu vel timore contra tuam voluntatem agamus vel à iustitia declinemus, nam cum tuam innocentiam in omnibus intueor & confidero, meam vero iniquitatem contempler quod non sit sanitas in carne mea, à facie peccatorum meorum, ipsa sum sordities, tu vero ipsa innocentia, pudore suffundor, nec audeo apparere in conspectu tuo.

§. 105. *Est autem consuetudo vobis, ut unum dimittam in Pascha. v. 39.*

Novum inventum Pilati ad liberandum Dominum de manu inimicorum fuit illud, quod ipsum tempus suggererat, nempe Paschale: quod unum ex victis seu reis dimitti moris erat, sed quem ipsi Iudæi rogarent. Hinc nova difficultas orta est an Iudæi essent Christum rogaturi. Et apparebat quod non, quia eum tanto furore tradiderant. Quid faciet ergo Pilatus? volens dimittere Christum & sciens eum odio haberi gratis, undique difficultas elucet, secundum iustitiæ directæ dictamen Pilatus Christum dimittere non audeat, favorem habens ad Iudæos, & si eum morti tradi optent consentire non audeat metu conscientiæ. Pessimum ergo hominem egerit & eum Domino composuit, ut indubie Christum peterent donari sibi, & non pessimum. Quis non hoc consilium probavisset? infelix tamen eventus docuit fuisse pessimum.

Domine agnosco quod etsi politici multa speculentur pulchra in speciem, ea tamen valde fallant & quidem saepe. Idcirco damno omnia consilia, quæ tuo spiritu, ô Deus, non sunt subnixæ quia in manibus tuis sunt hominum sortes, & voluntates nemo nisi Deus penetrat.

§. 106. *Vultis ergo dimittam vobis Regem Iudæorum? v. 40.*

Priusquam Pilatus Dominum cum pessimo latrone componeret, absolute & solitarie dimittendum obrulit Iudæis. Sed in hoc imprudenter processit, quia si illum liberari voluissent, non tam crudeliter eum Præfidi tradidissent, uti dictum est.